



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 51. Valenca Gubernatricis jussu obsessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI
A.C. 1567.

bis Præfecturam Hochstrato cesserat, eumque ibidem permanere voluit, Comes vero Egemontius in Flandriam, atque alii in diversa loca secesserunt. Tum Hochstratus rebellis populi motibus vehementer obstitit, unde tumultus brevi sedatum iri Gubernatrix spem conceperat, atque seditionis, ut illos ad sua studia pertraheret, jamiam blandiri cæperat, nec minus Egemontius haud obscura sui in Regis obsequium studii specimina edere credebatur, ac insuper Hochstratus Mechliniensem populum in officio continebat, Princeps vero Orangius quosdam rebelles Trajecti plectebat: nihilominus seditiosi Brugæ, & Valencenæ novos tumultus suscitabant, atque in posteriori hac urbe Ecclesiam sancti Vedasti devastabant. Re comperta Margarita Parmensis Belgii Gubernatrix, ubi se satis viribus firmatam viderat, Philippo Norcarmio a sancta Aldegunde, qui pro Marchione Bergensi in Hispaniam misso Hannoniæ Præfectum agebat, injunxit, ut præsidarios milites Valencenæ urbi imponeret, populumque contineret.

§. LI.

Valenca Gubernatricis jussu obsessa.

Thuan. & Strada l. 6. Itaque Norcarmius jussa executurus copias suas urbi propius admovit: verum

verum adventanti occurrebant missi a Valenceno Magistratu Oratores, affirmantes, se Regi, ac Gubernatrici fidos fuisse ad eam diem, atque in posterum futuros: insuper, quot milites inducturus esset, interrogabant, ac rogabant, ut quam paucissimis contentus esset. Ast mane, quo tempore accepturos se praesidium polliciti erant, alii a primis oratores veniunt, narrantes, haereticorum opera per Urbem ea nocte volitantium effectum esse, ut populus mutata sententia decreverit, praesidarios non admittere, causas Gubernatrici perscripturus.

Hæc agendi ratio tantopere Gubernatricem offendit, ut dispositis omnibus ad obsidionem necessariis, Norcarmio epistolam primo indignationis impetu scriptam mitteret, dato negotio, ut eandem Magistratui exhiberet, priusquam urbem aggredi inciperet. In hisce literis præcipiebatur Regis nomine Valencenatibus, ut quatuor equitum turmas, totidemque signa peditum protinus acciperent, ac Norcarmio Provinciæ Præfecto parerent: si abnuerent, pro Regis, ac Patriæ hostibus se habendos scirent. Illi obstinate id recusant, ideoque edicto Regio proscribuntur, ac bona eorum publicantur, cujus facti rationem Gubernatrix ad singulas provincias perscripsit.

Hac

Sæcul. XVI.
A. 1567.

Grotius
Annal Belg.
l. I. hoc ann.

Sæcul. XVI.

A.C. 1567.

Hac severitate conjurati non parum turbabantur, eo potissimum nomine, quod Norcarmius insuperhabita hyemis importunitate urbem cingere iustus esset.

§. LII.

Quoddam Conjuratorum agmen prope Tornacum profligatum.

Cum interea exeunte Mense Decembris Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto hujus Urbis obsidio pararetur, circa Tornacensem agrum quatuor Gheusiorum millia sub signis apparuere, Duce Joanne Soreano: porro consilium iis erat. Insulas urbem Gallicæ Flandriæ Principem invadendi, nam ad id exequendum spem fecerant consistoriales aliqui mercatores, qui in ea urbe plures, ac ditissimi cum Fœderatis clandestina fovebant consilia. Verum Norcarmius mandata acceperat, ut hostium molimina admoto milite, quem prope Valencenam habebat, præveniret, prius vero rem conferret cum Joanne Rassinghemio Insularum, Duaci, & Orchesii Governatore, qui non ita pridem ex conjuratis plusquam trecentos Armentarienses, plerosque militiæ rudes aggressus profligavit, plusquam eorum ducentis trucidatis, reliquis cum summa ignominia in fugam actis.

Hæc